



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 3. De obligatione restituendi ex quasi Contractu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

suprà; ergo neque illæ. Quare hujusmodi leges sufficientem habent effectum, eò quòd deserviant pro foro externo obligando, ut ipsi Judices juxta illas ferant sententiam, ex qua lata obligentur Rei ad solvendum: quod non solum videtur in praxi receptum pro foro conscientie, sed etiam pro foro externo; quia nunquã petitur restitutio ob culpas leves, & levissimas in foro externo, sed solum ob culpam latam.

848. Probatur Tertia pars ejusdem antecedentis: talis obligatio non est adstruenda sine fundamento; atqui nullum est: quale enim esset, quando ea obligatio à contrahentibus non exprimitur? cum enim contractus hi nec jure naturæ, nec positivo eam secum afferant obligationem, non debent contrahentes censeri eam ultrò sibi imponere; nunquam enim quis censendus est se obligare, nisi de se obligandi voluntate constet: in nostro autem casu non est, unde prudenter constet; aliter eodem modo equaliter constaret in omnibus contractibus, & non solum in aliquibus sine ea expressione voluntatis: atqui ut Adversarii farentur, ea obligatio non constat in omnibus; ergo neque in aliquibus.

849. Objicies 1. suppositis legibus à num. 842. homines intelliguntur saltem virtualiter velle celebrare suos contractus juxta eas; ergo ex pacto tacito obligantur juxta illas ad exhibendam exactam, vel exactiorem, vel exactissimam custodiam respectivè ad varios contractus; hæc enim obligatio restitutionis oritur ex contractu, non autem tibi delicto; quia est ex pacto tacito; ergo &c. Resp. neg. antec. quia homines, si aliud non exprimant, solum se obligant contrahendo ad diligentiam moralem, vel humanam, qualem in rebus suis ponent; quòd est nolle ponere advertenter dolum, aut culpam latam: nemo enim est, qui pignori, vel rei commodatæ, vel conductæ putet majorem ex justitia debere custodiam, quàm Dominus ipse adhibere solet; hoc autem solum est cum humana, & ordinaria diligentia, non autem exquisita custodire: & licet vir ingenuus magis custodiat aliena, quàm sua, & restituat, si etiam per levissimam culpam pereat, non id facit ex obligatione, sed ex gratitudine. Dicitur autem hæc radix ex contractu, & non ex delicto; quia non est ex mero delicto, sed mediata, & radicaliter à contractu descendit.

850. Objicies 2. Æquitas naturalis postulat, ut cum res aliena traditur tibi in tui solius utilitatem, ut in commodato, te obliges ad majorem custodiam, quàm si eam acciperes in utilitatem dantis, atque adeò, ut quando re commodata frueris, hanc æqualitatem saltem intendas, ut velis subire onus restituendi, quando culpa tuã etiam levissimã res pereat; non enim est æquum, ut velis tui commodato sine hoc onere. Resp. neg. antec. in commodato enim ex usu hominum aliquid gratis da-

tur: commodat enim quis amico rem suam nullo pretio, in gratiam solius amici; aliter non esset contractus commodati, sed venditionis: unde non debet esse tanta æqualitas in comodato, quantam requirit objectio; idcirco si quid est inæqualitatis, à comodante conceditur amico: & hoc fert secum contractus commodati, in quo aliquid utilitatis plus habet accipiens, quàm dans. Ex dictis

Fit 1. in commodato, pignore, & reliquis contractibus, qui sunt in solius accipientis utilitatem, requiri majorem diligentiam ad vitandam culpam latam, quàm in aliis; quia in his commodatibus homines diligenter majorem diligentiam adhibent, quàm in aliis; atqui si ea diligentia, quam adhibent diligentes, violetur, committitur culpa lata; ergo &c. Quare nostra sententia faciliè cum prima conciliaretur, si hæc solum vellet aliquem in his contractibus teneri de levi, non quæ formaliter levis, sed materialiter, quatenus negligentia, quæ in aliis contrahentibus esset levis, in his esset gravis etiam in conscientia, & ideo poneret onus restituendi. Cæterum si prima sententia bene expendatur, aliquid plus vult.

Fit 2. non sufficere ad vitandam culpam latam, & peccatum mortale in rebus majoris momenti eam diligentiam, quæ sufficeret in minoribus; si autem aliquis in casibus presentis quæstionis nullam commiserit negligentiam, & Judex ex gravis suæ negligentie falsa præsumptione te condemnat, & cogat ad restitutionem, poteris tibi compensare. Idcirco si res commodata, deposita, vel locata &c. fortuito sine ulla tua culpa pereat, non teneris in conscientia ad restitutionem nec parvis, nec totius propter principia hucusque tradita, quidquid dicat Diana part. 2. Tractat. 63. resolut. 10. Excipiuntur tamen tres casus: primò, si pacto te obligasti ad restitutionem, etiam si fortuito pereat, quod pactum licitè potest fieri in gratis commodato &c. non autem quando res locatur juxta pretiò; quia tunc hujusmodi onus esset supra pretium justum. Secundò, si sis in mora culpabili restituendi; quia tunc in te incipit titulus injustæ acceptionis. Tertiò, si commodatarius ad alium casum præter voluntatem Domini re accepta utatur; tunc enim ipse dat causam casui fortuito, ut per se patet.

SECTIO III.

De obligatione restituendi ex quasi contractu.

DIximus de culpa, ob quam est restituendum in contractibus: nunc autem de culpa, ob quam restituendum est in officiis, turellis, artibus &c. quæ se habent quasi contractus,

tractus, in quibus adest implicitum pactum de bene administrando officio. Quare in conscientia utrobique adest, vel intelligitur non dissimile pactum, sicut diximus de culpa in contractu. Isti autem quasi contractus aliqui sunt tantum in gratiam aliorum, ut diximus, cui stipendium non datur, alii in gratiam etiam sui, ut si stipendium accipiat.

854. Affero cum Vasquez, Lessio, Lugone &c. nullus obligatur in conscientia ante sententiam Judicis ad restitutionem ob culpam levem, aut levissimam solum juridicam in quasi contractibus. Probat. Nunquam homines sive gratis, sive ex pretio servientes in traditione, vel acceptatione munerum censentur per quasi contractum (præscindendo ab aliqua causa nova, & peculiari promissione) se velle aliis obligare ad diligentiam exquisitam, sed solum ad moralem adhibendam in suo munere, & talē, quā homines adhibent prudentes in talibus muneribus, & quam ipsi adhiberet, si solum in bonū suum tota cederet administratio: nam major obligatio nimis esset difficilis; igitur sufficit, si se obligent ad adhibendam diligentiam moralem in suo munere: hanc autē si advertentē non ponant, obligantur sanē ad restitutionē omnium damnorum, quæ scilicet sequuntur ex hac omissione graviter culpabili contra justitiā. Unde Doctores communiter docentes, quod aliquis teneatur ratione officii ex dolo, vel culpa lata, intelligendi sunt de culpa lata, qualis regulariter esse solet, voluntaria scilicet, & deliberata, atque adeo graviter culpabili in conscientia contra justitiā; quod si à culpa gravi excusentur, non teneantur in conscientia ad restitutionem, ut constat ex dictis. Argumenta contra hanc assertionem soluta sunt in Sectione præcedenti: unde opus non est reperere. Ex dictis

855. Fit 1. nostram assertionem non extendi ad specialem promissionem, quæ ex libera alicujus voluntate potest supervenire contractui; tunc enim hæc potest parere obligationem restitutionis etiam ex culpa levissima: ut si quis officium accipiat cum promissione diligentissimæ, ex vi sui pacti tunc eam adhibere teneatur, maxime, si propterea accipiat stipendium: vel si aliquis tacite id ipsum promiserit, ut si quis se jactavit meliorem alio; unde per hoc alios avertit à meliori Medico, Artifice &c. & ad se homines trahit; tunc enim resarcire debet damnū secutum ex omissione exquisitæ diligentiae, quam ex pacto implicitè promiserat hominibus ad se venientibus. Hæc autem omnia consideranda sunt secundum Prudentum judicium, ut inferantur, sine peccata, an non?

854. Fit 2. Quando nulla fuit culpa in assumptione officii, nec in retentione, nec in executione, nullam esse obligationem restituendi damna postea secuta: quod plures extendunt ad casum, quo accipiendo aliquis, vel retinendo officium peccaverit contra justitiā, si tamen postea suā diligentia assecutus fuerit tantum, quantum opus est sufficientiæ, non teneretur ad restitutionem, si tunc sequitur damnū; quia illud non sequitur formaliter ex impotentia, sed difficultate rei, quam nec aptissimus fortē superasset. Idē à fortiori dicendum, si damnū procedit ex culpa levi, vel levissima in assumptione, vel retentione officii; quia culpa levis, vel levissima nullam ponit in conscientia obligationem restituendi.

855. Fit 3. Medicum, & quemvis alium bona fide, & inculpa docentem falsum, vel dantem malum consilium, ex quo consulenti, vel aliis damnificat, ubi se advertit fuisse deceptum, teneri ad restitutionem damni secuti post detectionem erroris, si non procuret vitare, sive cessaverit, sive non ejus officium, quando errorem advertit. Dixi damni secuti &c. quia damnū ante detectionem non teneretur restituere; quia hujus in conscientia non fuit causa injusta, sicut esset post detectionem moraliter injusta in mala erroris conservatione, si non revocet consilium.

856. Scio aliquos, quos sequitur Sanchez lib. 1. consil. cap. 4. dub. 5. num. 1. in hoc casu censere, non teneri ex justitia, sed sola charitate revocare consilium, si dum advertit, officium cessavit: unde inferunt, non esse irregularem, nec excommunicari Medicum, qui Clerico consulit medicinam, quam postquam non est amplius infirmi Clerici Medicus, advertit esse mortiferam, licet postea eum non admoneat. Fundamentum est; quia solum peccat contra charitatem non admonendo, cum jam non teneatur admonere ex officio, ideoque nec ex justitia. Oppositum censeo omnino esse verum, quia licet non teneantur omnes ex officio, & justitia impedire malum alterius; quilibet tamen teneretur ex justitia procurare, ne ex sua voluntate lædantur positive jura aliorum, vel ne alii damnū recipiant: atqui si non revoces verbum aut consilium à te incautè datum, vel actionem alioquin materialiter injustam non subtrahas, quando advenit advertentia, ex actione tua læderentur jura positiva aliorum, & qui fueras materialiter injustus, incipis esse formaliter;

ergo &c.

